



**Gabrielis Navdæi Parisini Pentas Quæstionum
Iatro-philologicarum**

Naudé, Gabriel

Genevæ, M. DC. XLVII.

Qvæst. Secvnda Iatropilo-Logica. An vita hominum hodie, quàm olim
breuior?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70696](#)



QVÆST. SECUNDA

IATROPHI- LOLOGICA.

An vita hominum hodie, quam
olim brevior?

Vestibuli custos Vultu longana decoro Claud.
Ante fores Natura sedet.

TA est, Præsul ornatissime,
sedet ipsa πολυμήχανη μη-
τὶρ in tuo conspectu, mul-
tum animi pendens & in-
certa, quo tandem calculi mei colore
vel impresso signatōque literæ chara-
ctere incoēptam hanc de suo statu &
virium integritate disceptationē com-
ponere aggrediar. Ut igitur quod in-
genuè censeo libere nec cunctanter
profitear, nostrum omnium, sed tui
causa potissimum Doctissime SVA-
RESI

Sat. lib. I.

— *Qui Troica dignus es**Sæcula, & Euboici transcendere Nesto-
ris annos*

moleste, & iniquo animo paterer grauem adeo senescentis Naturæ sortem nobis imminere, ut quæ tot olim Gigan tes fouisse dicitur Pumiliones jam, & homunciones tantum proferat, quæ tot etiam *manegib[us]* extulisse, nunc velut effoeta ac diuturno partu defatigata nos omnes *manegib[us]* esse vix sustineat. Et verò licet mortalium plurimi grauem instituant de Naturæ ma-

Seneca de lignitate querelam, quod in exiguum
breu. vit. *c. i.* xui gignimur, quod hæc tam velociter tam rapidè dati nobis tēporis spatia decurrant, adeò ut exceptis admodūm paucis, cæteros in ipso vitæ apparatu vita destituat. Licet etiam iprorum nonnulli decluem hanc, & ad finem suum celeri gradu properantem, ut rerum omnium, sic Mundi senescentis ætatem, tam insignis jacturæ ream fstant, criminentur, damnent; Viri tamen sapientes & quicunque alteri quorum caput est extra cucurbitam

bitam, & cor ultra melopepones sapit,
hoc in vulgi more positum esse, ab o-
mni temporum memoria sibi persua-
serunt; ut quemadmodum inquit Ta- Tacit.
citus, Dialog. de
vitio malignitatis humanæ cæte- Clar. O-
ra semper cum laude respiciat, præ- rat.
sentia non nisi cùm despectu & fasti-
dio excipiat. Nempe illud idem est
quod paullò ante ipsum dixerat gra-
uissimus morum Censor, & Stoicæ di-
sciplinę Vindex acerrimus Seneca lib. Cap. I.
1. de Benef. hoc Maiores nostri questi-
funt, hoc nos querimur, hoc posteri
nostri querentur, euersos esse mores,
regnare nequit iam, in deterius res hu-
manas & in omne nefas labi. Illud il-
lud idem est profectò, quod stuvißimâ
etiam Poëtæ Venusini lyrâ decanta-
tum fuerat:

Damnosa quid non imminuit dies? Od. 6. lib.

Ætas parentum pejor auis tulit

Nos nequiores: mox daturos

Progeniem vitiosorem:

Adeò certè uniuerso hominum gene-
ri familiaris fuit hæc querela; ut non
immeritò poëta Satyrographus hanc

28 *An vita hominum hodie*
cum hominibus natam aut ab Euandri
salem & Carmenta ipsiusque Home-
ri temporibus usurpatam fuisse, sapien-
ter non minus quam verè innuerit:

Iunior. Ja-
tyx. 15. *Nam genus hoc viuo jam decrescebat*
Homero,
Terra malos homines nunc educat atq;
pusillos.

Vnde vix est ut mihi persuadeam cas-
cos illos, & à Diis recentes homines,
tantâ vite innocentia, & puritate, tam
integra valetudine, tam firmo corpo-
ris & animi nexu ætatem suam degis-
se, ut inde merito aurea hæc ætas na-
turalis, justa ἀειφεσινῶς & νατ' Τέο-
χλω appellari, omniumque ut prima
sic felicissima & beatissima existimari
meruerit. Neque enim de meliore lu-
to finxit illis præcordia Titan, quam
alijs qui postea secuti sunt, nec illis
quam nobis clarior unquam aut vege-
tior illuxit: idem profectò qui ab orbe
condito semper fuit Diuinæ Proui-
dentiæ numerus:

Alanus in
Encyclo-
ped.lib.3.

Concordi ligat omnia nexu,
Singula componit, mundū regit, ordinat
orbem, *Astra*

quām olim breuior?

29

*Astra mouens, elementa ligans, ani-
másque maritans
Corporibus, terras cælis, cælestē ca-
ducis.*

Idem etiam cœlum omnes homines
tegit, eadem terra sustinet, elementa
eadem componunt, amica juuant, li-
gata fouent, soluta destruunt; ijsdem
alimentis vescimur, commodis frui-
mur, moribus utimur; ijdem nunc sunt
qui & olim dies, anni, menses, eadem
temporis & uniuersi facies,

*Non aliam videre Patres, aliámve Ne-
potes
Afficient.*

Cur igitur nostrūm omnium tempe-
ries haud erit similis, mors citior, vita
non æqualis? An quia sæculum illud
aureum fingitur, sic gemmeis tantūm
& penitus aureis hominibus impētiri
& communicari debuit? At potius mi-
rari subit non mediocriter supinam
Authorum omnium & Historicorum
negligentiam, ne dicam amentiam,
quos non puduit ejusmodi veteres a-
rias, & meras Poëtarum nugas veris

narrationibus immiscere , cámque x-
tatem pro aurea nobis exhibere , quæ
si ad nostram conferatur , ferrea pror-
sus , & lapidea videri possit , cùm non-
dum emollitis ciuiliori cultu , neque
per artes , & liberales disciplinas pro-
bè temperatis hominum moribus , se-
miferos incolas , tantùm abest ut au-
reos , terra ipsa sustinere videretur , ut
potè

Architren-
nius lib. 5.
cap. 17.

*Quibus uda ferarum
Terga dabant vestes , cruor haustus , pi-
cula trunci ,
Antra lares , dumeta toros , cenacula r-
pes ,
Præda cibos , raptus venerem , spectac-
la cædes ,
Imperium vires , animos furor , impeti
arma ,
Mortem pugna , sepulcra rubus , mon-
strisque gemebat
Monticolis tellus .*

*Vt omittam hic quod etiam sacri Co-
dices abundè testantur , Diluum i-
stud , quod terram omnem absorbuit
diuinitùs propter hominum sceleri-*

con-

quam olim breuior?

31

contigisse, quæ tota talia prorsus fuere, ut Deum ipsum pœnituerit hominis creati. An igitur quia igneum illum vigorem, & cœlestis particulam auræ Promethei furto sublatam, fictilibusque corporum suorum ergastulis demersam, primi nostri parentes receperunt, ipsa per initia vigente ac multum splendescente nihil quicquam illis haud secus ac cœlestibus sphæris deperire oportuit? forsitan quibusdam videbitur; at statim tota litis contestatio deuoluetur ad Horatium, Poëtam meo quidem judicio sapientissimum, apud quem dubio procul causa sua cadent & sententiam ejusmodi referent:

*Post ignem aethereâ Domo
Subductum macies & noua febrium
Terris incubuit cohors,
Semotique prius tarda Necesitas
Lethi corripuit gradum.*

Ode 3, lib. 1

Sed, an fortasse πολυχερίς illos fuisse arbitrandum est, quod simplici & moderato vietu uterentur, eo potissimum tempore quo

An vita hominum hodie

1 Quid. 4.
Fast.

*Panis erant primis virides mortalibus
herbæ,*

*Duraque magnificas quercus habet
bat opes.*

Ædepol ingeniosum esse mihi persuadero Poëtarum genus , ac solertiæ non vulgaris plenissimum , qui fictitia haec dulia nonnisi commentitio sæculo usurpata fuisse docet ; fictitia, inquam & prorsus ridicula , cum primus omnium parens Adamus hanc à Deo malversationem accepisse referatur, ut vesceretur pane , non verò glande a crudis radicibus in sudore vultus suus Sed concedamus familiarem illis fuligine olerum omnium & leguminum sum : concedamus & glandes , & nucces , & castaneas , & baccas , & quidquid aliud ex terra , satis , arboribus vellitur , legitur , euellitur ,

Olus suave, multiplex herbæ genus,

Veras nitentes, atque fætus arborum.

An propterea longior vitæ terminus erit etiam illis concedendus ? Negat Galenus, qui libro de cibis boni & malici succi cap. 6. in olerum genere nullum

Ium esse quod bonum & laudabilem
succum dignat, manifestè contendit:
negat & Celsus, dum imbecillissimam Lib. II. c.
esse materiam omne olus, & quidquid ^{18.}
in caulinulo oritur, afferuit. Vnde for-
san Galenus occasionem desumpsit
hunc locum Hippocratis de legumi- Lect. 6.
bus, & herbis explicandi, in quo diui- lib. epid.
nus senex velut effatum protulit, quod
imbecilles cibi breuem vitam effici-
unt, seu ut ipsi met ejusdem verbis u-
tar, ἀδερέσει τοῖς οὐλιγχεροῖς βιοτοῖς
ἔχει: ut propterea non insulsè meo qui-
dem judicio, vafer coquus, apud Plau-
tum, olera omnia longè proscribat &
amandet, ipsorumque usui breuitatem
vitæ acceptam referat:

Hic quidem homines tam breuem vi-
tam colunt

Cum hasce herbas hujusmodi in aluum
congerunt,

Formidolosas dictū non esū modo.

Nam etsi Romanorum historijs consi-
gnatum legamus, Marcum illum Ca-
tonem non minus triūpho quām cen-
sura, & eruditione prorsus insignem,

C

herbis, quas ipse plantauerat, se con-
jugémque & libertos ac familiares a
longęam senectutem incolumes per-
duxisse; rarum tamen istud exemplu-
fuit, & quod postea ~~un~~ novem annis scripro-
res supra veritatis fidem extulere,
nequidem vel illi suppetias ferent
Cardano, qui multis animalibus hu-
bris idcirco vitæ metam assignauit, qu
non similiter ac cætera fructibus
herbis vescerentur, confirmatam ja
esse ab omni ætate tot præclarissim-
rum Medicorum sententiam conu-
lere possit aut debeat, præsentim cù
jam experientia compertum sit, illi
qui lentibus & cæpis frequenter
scuntur, cancro & elephantiasi val-
esse obnoxios; qui fabis & castan-
doloribus colicis & flatulentis dis-
ciari; qui fungis aut cerasis, angina
incurrere; qui Persicis, lippitudine
qui ficubus, scabiem, phtiriasim &
scerum tumorem; qui nucibus, amy-
dalîs & pineis, cephalalgiam & ve-
triculi dolorem; qui beta, lienterian
qui porris, cæcitatem; qui deniq; fr
Etib

fructibus horarijs atque fugacibus, putridas febres & dysenteriam, nec alia sāne de causa, cicutis allium nocentius vocatur ab Horatio, aut crambe reconstituta mortem vel communi prouerbio dicitur inferre, nisi propter mala quæ ab ipsorum usu subinde pullulant, non secus profecto atque sub lactucæ folijs, quæ tanquam striges pessimæ nervos virorum emaciant ac comedunt. Venerem bellulū suum Adonim quondam abscondisse, sapienter quidem & ex antiquioribus Mythologiæ fabulis refertur à Callimacho. Sed num forsan satius erit dicere priscos illos homines, ut à primo suo ortu minus abfuerint, eò etiam præstantiores & vegetiores extitisse? Sanè nihil quidquam simile in alijs rebus cernitur: nam & infantes diu stertunt in cunis, & animalcula non statim mouētur, & plantæ sensim augescunt, & metalla paullatim concrescunt, & quidquid aliud obtuleris videbis, ut monet Seneca, in omni negotio longè semper à perfecto fuisse principia. Valeat igitur Ar-

C ij

36 *An vita hominum hodie
ganthonius ille senex,*

Sil. Ital.

Lib. 3.

sta
& i

Ter denos decies emēsus belliger anno

Valeat Nestor ille Homericus,

fa
*Ut quem fama refert hyemes vidisse
trecentas.*

Valeat Sibylla Cumana,

Ouid.

Pr
gri
& b
lo ;
cre

*Quæ jam sibi saecula septem
Acta videt.*

ger
Temporibus, cujus ætatem per sex
ginta supra trecentos & amplius a
nos, nimis incautè à Francorum His
tricis protractam fuisse contendit Pa
lus Aemylius, & omnes isti πολυχεο
senesq; ter aut amplius recocti : na

lib. 5. hist.

lib. 1. de
sanitat.
tuen. c. 8.

qui
Fru
mu
nilu
faci
illis
ratu
hac
ut i
cog
hoi
deb

ut post Cardanum loquar, et si nol
dicere mentitos eos fuisse qui de ip
sunt) monstra fuisse dicendum est. Si
valeant unà cum ipsis homines quida
paradoxopæi, creduli, nugigeruli, in
etiam & nugiuenduli,

*Quælibet à quouis mendacia creder
prompti,*

*qui ad ridiculam hanc ἀδιανοίαν & ir
senescentiam firmiter, ut illis videtur ub*

stab

quam olim breuior?

37

stabiendam , syndromen colligunt ,
& mira quædam nobis obganniant de
facultatum in primis istis hominibus
Præstantia & actionum omnium inte-
gritate , cum videlicet crudas carnes ,
& boues integros comedenter , ut Mi-
lo ; numerosos filiorum exercitus pro-
crearent , ut Priamus ; crescerent in ju-
gera , ut Tiphœus ; ac demum ut bea-
tex mentes , aut saltem diuinitus edo-
s a Ætæ discurrerent , artes inuenient , prin-
cipia statuerent ; sciætias ipsas , & quid-
quid eruditionis habemus ordinarent .
Frustra enim illi se torquent , & cum
nullo labore fabulas congerunt , nec
nil tamen proficiunt , cum eadem
facilitate refellantur à nobis , qua ab
illis referuntur . Et si quid olim dubi-
tatum fuit circa Gigantes , non item
hac tempestate existimari debeat , quæ
ut multa alia bona , & ingeniosè ex-
cogitata , sic & profligatos ejusmodi
homines doctissimo Riolano debet :
debebūt certè & posteri . Tu verò Me-
dicorum decus , & Scholæ Parisiensis
ubar perpetuum , Ioannes Ferneli , cu-
stab

C iiij

jus præclarissimum nomen & quocunque Veterum unquam fama penetrauit, illuc similiter diffusum, ne ab arte mea recedam reliquorum instar qui in singulis facultatibus nuperimè excelluerunt, in medium profero, egregijs tuis inuentis & nunquam intermoriaturis laboribus patefecisti satis, non omnem, ut ipsi dicūt, exhaustam fuisse in antiquorum ingenij formandis & expoliendis Naturæ vim & ubertatem; sed & illud insuper longo discursu ostendisti in eleganti præfatione librorum tuorum de abditis, discurrendo per singulas artes, & rara profusque stupenda Typographiæ, fulminalium & Pyxidis nauticæ inuēta, quæ non ita pridem velut è latebris prodierunt, & mundum illum veteren sibi ipsi dissimilem effecerunt, ingeniosè describendo, ut minuenda si hæc opinio tamquam inimica virtuti vel potius ex animis hominum euclenda. Nec enim naturam putandum est communem omnium parentem nobis potius quam veteribus nouerit.

cam

cam , omnes suas opes quondam profundisse, nunc verò sterilem & effætam existere, sicq; priorum sèculorum fœcunditate exhaustam, ut nihil amplius pariat & procreet Heroicis illis simile temporibus : cùm potius verum sit, artes omnes atque disciplinas, quæ annis propè mille ac ducentis sepultæ jacuerant , aut verius , quæ extinctæ occiderant, jam planè reuiuiscere pristinum ne dicam majorem splendorem adeptas , & nouas quotidie velut ex inuolucris temporum & sèculorum latebris excitari , quarum beneficio, quod de sua ætate dicebat unus ex antiquis, hoc ipsum potiori jure possemus in præsentiarum usurpare :

*Sumpserunt artes hac tēpestate decorem,
Nullaque non melior , quām prius,
ipsa fuit.*

Quid tandem? erepto hoc corporis & animi functionum aduersarijs præsidio, ipsi ad longè tutius se recipiunt, dum historiæ Sacræ fidem appellant, & Patriarcharum ætatem , Mosisque, qui varijs codicibus illam consignauit,

C iiiij

40 *An vita hominum hodie*

auctoritatem velut Sacram anchoram
prætendunt, nōsque diuino istius No-
moothet & Pentateucho , non secus
ac Palladis scuto à quibuscunque telis
obtesti, tanquam parum credulos vel-
licant & laceſſunt qui molis istius sen-
ſim ad interitum properantis, & natu-
ralem eorum omnium quæ in ſe am-
plectitur contabescentiam, ad Mor-
boniam & Pannuceas Baucides, velut
nugas canoras & Milesias fabulas a-
mandamus. Quasi verò uniuersa rerum
compages & fabrica, cui fatalis immi-
net periodus à cauſa tantùm violenta,
ab igne & communi illo rogo,

*Quo mare, quo tellus, conuexaque regia
cæli,*

tunc , cùm ejus Auctori viſum fuerit,
expurgari debent , præuias ejusmodi
dispositiones internas , & alterationes
necessarias, quæ in viuentibus conſpi-
ciuntur, dum illa ſenſim ad tabē , mar-
corem, & interitum properant, requi-
rat : aut inter hæc bene conueniat quæ
de vitæ noſtræ continuò decrescentis
proportione , cum ab ipſo Moſe , tūm
ab a-

ab alijs Scriptoribus hagiographis cō-
municiter proferuntur. Siquidem, cūm
ante primam terrarum eluīem vita
esset cccc. aut quingentorum circi-
ter annorum, in diebus Mosis dictum
est illi, Et erunt dies hominis centum
viginti annorum, manifesto sanè & in-
genti decremente; tempore verò Ie-
sū Syrach qui Ecclesiasticum scripsit,
numerus dierum vitæ nostræ erant ut
plurimum centum anni; deniq; sub re-
gno Dauidis, septuaginta tantum no-
bis relicti sunt, & in potētatis octo-
ginta. Vnde si eadem decrementi ra-
tio ad nostram usque ætatem seruata
fuisset, vita nostra deberet tantum es-
se quindecim, aut ad summum viginti
annorum. Quod quantum præsenti
experientiæ, & veritati conueniat, per
se satis unusquisque videt, & cogno-
scit. Ut etiam Iure merito Franciscus Lib. 16. E-
Petrarcha asseruerit, à duobus & eo pist. senil.
amplius annorum millibus circa hu-
manæ vitæ spatium, nullam omnino
factam esse mutationem. Verùm ab-
sit, ut quemadmodum Cardanus ad-

uersus Sapientissimum Salomonem de
Fluuiorum origine , ita ego aduersus
prudentissimum Mosen de Vite & an-
norum ratione certamen instituam.
Vera enim sunt omnino,& ab ore Dei
prolata, quæ de Patriarcharum ætate,
diuinus Scriba nobis tradidit ; sed ta-
lia nihilominus , quæ nullam vim Phi-
losophorum ac Medicorum rationibus
inferant cùm ipsi de consueta Naturæ
lege, non autem de absoluta Dei pote-
state quæstiones innectat ; qua tamen
certum est, communem hunc viuendi
terminum Patriarchas & primos mun-
di incolas fuisse trægressos : cùm Deus
ipsos in longa sæcula cōseruare vellet,
ut gloriam, & cultum nominis sui faci-
lius ad posteros transmitterent : quod
in Chron. voluit Rabbi Leui apud Genebrardū,
sive quemadmodum arbitratus est Fla-
uius Iosephus, ut multa viderent, expe-
rimentur, intelligerent, artēsque omnes
& scientias ex certis fundamētis con-
stituerent. Quamobrem hoc tantum
supereft, ut ex Aristotelis & Peripate-
ticorum mente , quibus in hoc etiam
Medici

Medici assertiuntur, cōcludam: Eundem semper in hominibus extitisse ætatis terminum; Et si quā diuersitatem vicissim suscipiat, hanc admodum leuem esse: quāmque Petrus Aponensis ex quatuor tantum causis repetendam monet, nimirum Cœlorum influxu, Elementorum mixtione, Generationis modo, & rerum non naturaliū usū deprauato. Certè exemplum hujus veritatis habemus illustre nec isthinc longè petitum, cùm Ælius Phlegon Trallianus, Adriani Cæsarislbertus, in tractatu suo de longæuis Rauennæ, quæ Ciuitas est totius Flaminiaæ Metropolis, Iulium Pætum annos cétum vixisse, & Lucium Antidiū Sotericum terminum hunc tredecim alijs fuisse prætergressum, miraculi instar habendum existimet; quamuis Hieronymus Rubeus doctissimus ejusdē Ciuitatis Philosophus & Medicus qui non ita pri dem occubuit, referat se in ea Iannelli cuiusdā Aurificis familiaritate usum fuisse, qui prima jam ætatis suæ Centuria faustè felicitérque transacta alte-

44 *An vita hom. hod. quam ol. breu.*

rius vigesimum annum attigerat ; ibi-
In Indice démque præterea mulieres vidisse Cé-
kist Rauē. ciliam Pauli Arrusini matré, & Iuliam.
in voce, *Vita diu.* Honestinam , quæ centesimum ambæ
turnitas. superare dicebantur : verū

*Quid moror exemplis quorum me turba
fatigat ?*

præsertim cùm ex historia medica unū
nobis suppetat, ab artis nostræ Princi-
pibus desumptum, quod ut omni exce-
ptione maius est , ita etiam debet jure
censeri pulcherrimum. Hippocrates
siquidem, Galenus, Auenzoar, Leoni-
cenus , cogitate vos quantum tempo-
re, loco, viuēdi ratione inter se discre-
pantes , hoc uno vitæ termino planè
conueniunt, quem omnes ultra cente-
simum annum protractare. Vnde, cur
non exclamem cum Ouidio pro Co-
ronide:

*Prisca juuent alios, ego nunc me deni-
que natum*

*Gratulor , hac ætas moribus apta
meis.*

Nobilis-



Nobilissimo Viro Domino

D. PEYRESCIO

IN AQVENSI CVRIA

Senatori Integerrimo,

ABBATI GVISTRENSI

VIGILANTISSIMO,

Optimo, Eruditissimoq;

Literatorum om-

nium Mecœ-

nati,

GABRIEL NAVDAVS S. P. D.



*VOD hactenus erga viros gra-
ues & præclaros, qui vel mutue
necessitudinis significatione,
vel officiorum quæ in me con-
tulerunt magnitudine, optimè de studijs
meis meriti sunt, præstare sum conatus, Li-*

bros eis tenuésque ingenij mei flosculos of-
ferendo, Hoc etiam aliquando cogitabam
in te conferre, CLARISSIME PEYRE-
SCI, qui me jam pridem incredibilibus a-
moris & beneficentiae tuae illecebris totum
tibi deuinctum esse voluisti: Verum quod
citius quam sperabam istud impresenitia-
rum fecerim, duo sane in causa fuerunt
quaerutios etiā homines possent ad loquen-
dum impellere, admiratio nempe Tuæ vir-
utis, & indignatio quam dudum in me
concepi, quod ipsa non omnibus eruditio-
rum calamis celebretur, quibus tamen qua-
tidie materiam suppeditat, de cunctis fer-
me rebus doctè subtiliterque differendi.
Quamquam enim istud in te sit argumen-
tum peruagatae ludis, & supra id omne
quod mortale est ipsi met famæ pennis em-
et & quād non secus atque solem & aurum
pauci delibandam censem, quoniam omni
superuacanei esse Laboris sibi persuaden-
tes per se conspicuas commendare; dol-
tamen majorem in modum inde tibi sor-
tem imminere prisca illius Mecenatis
qui quod Augusti auo viris omnibus Li-
teratis, quorum praesertim commodis in
seruit.

seruiebat, notiore esset, quā ut de ipso quic-
 quam Literarum monumentis consignare
 & animum suum inducerent, ignotus nunc
 habetur & si nomen excipias quod Illustri-
 sum sane perennabit, tot sacerdorum gy-
 ris obrutus oppresusque. Quare ut quan-
 tum in me situm est, tam gravi incommo-
 do prospicerem, ceterisque etiam quibus
 ingenuarum artium studia cordi sunt, a-
 nimos facerem, ad exemplum quod præ-
 sens ætas in te habet, viri ad omnem do-
 ctrinae & humanitatis rationem compositi,
 venientibus quoque sæculis transmitten-
 dum; Cogitaui sæpius Panegyricum tibi
 dicere, non meo tantum sed totius Reipu-
 blicæ Literariae nomine, cuius in te curam
 omnem ac sollicitudinem recepisti. Nam
 utcunque summa ejus administranda am-
 plificandaq; sapientissimo ætatis nostræ He-
 roi Eminentissimoque ac Reuerendissimo
 Principi FRANCISCO BARBERINO,
 ab ipsis met credo Musis & Apolline de-
 mandata sit, quem continuò hæc una præ
 ceteris cura exerceat, hæc totum detinet ac
 sollicitat cogitatio, ut quantum in ipso si-
 tum est, partim flagranti doctrina studio,

que per vices orbis Christiani negotia prudenterissime temperat, partim etiam auctoritate, consilio, sumptibus, & fauore yes ipsius promoueat, augeat pomæria, fines proferat, ipse tamen absque te foret, majori cum difficultate atque molestia munus istud sustineret, qui velut solers explorator in secessu tuo Baugencyaco sedes, eorum omnium que vel in remotissimis mundi partibus geruntur, eruuntur, deteguntur, ceduntur ve ad rem non modo Litterariam plena sed ad omnem honestam curiositatem per suum continentium; & quorum etiam maxima parte adeò diligenter Tusculanum illud ex parte ornasti ut te

Alan. lib. Quidquid depascit mentes, vel in ma
I. Antic- ebriat aurem,
claud. Seducit gustus, nares suspedit odore vit
 Demulcet tactum, seruet locus iste cer
 locorum. ber

Verum cum pluribus & ijs quidem granis te
 simis occupationibus detinear, quæ me et lib
 iam nolentem & inuitum ab istiusce Pantimi
 gyrici meditatione remorantur & ubdu
 cunt; hanc interim questionem de Tem
 pore magis ad lucubrandum apto conut
 nienti

nientique, tibi omnium hominum Vigilantissimo, Studiosissimo, Doctissimoq^z conse-
crare volui: Quod equidem ut facerem, in-
duxerunt me primum propriæ meæ rationes
qui jam dudum in tuo ære viuo, omnemq^z
cultus & obseruantia significationem tibi
exhibere flagrantibus votis aueo desideró-
rum que supra modum; Deinde vero optimi &
eminentissimi mei Mecænatis IOANNIS
FRANCISCI Cardinalis à Balneo exem-
plum, quicum alias tecum adeo lubenter
per suauissimèque versaretur, ut cum nullo an-
pario Literatorum magis, nunc etiam nihil
de antiqua sua Benevolentia remittit, sed
te licet absentem amat suspicitque quam
maxime. unde cum actiones illius omnes,
mihi exemplo esse debeant, quod potest in
vita esse Honestissimum, Sanctissimumq^z,
certe nihil quoque prius aut antiquius ha-
bere debui, quam te aut potius virtutes in-
te omnes modestiam, studium, diligētiam,
ne & liberalitatem, eruditionem suspicere, ad-
mirari, revereri. Vale.

Dabam Patauij pridie Kal.

Iun. M. D. C. XXXIV.

D

AUCTORI AMICISSIMO.

Dum quādo deceat studere libras,
NAVDÆ antithesi, vel ortus
hora.

Vel Sole occiduo; bēne atq; docte
Tā scribis, fateamur ut, quod ipse
Omni, GABRIEL, es legendu
horâ.

Io. Argolus

Seu juuat aurorâ, mediâ seu luce, vi
imâ,

Nocte, laborantes incubuisse libri
Exéplo, NAVDÆ, tuo sic dirimis, ind
Tēporis ut PEIRESC nil perijisse scia
Illius exacto tua stet sententia nutu
Qui placet huic, doctis sat placui
reor.

IOAN. RHODI

NAVDÆVS docte tranquillat
temporis horam
Expendit Musis quę sit amica magi
Ast indefesso studiorum denotat usu
Quod quęvis studijs hora sit apta sui

Robertus Farnacque Philos. & Med.

QVA